DE HAEMORRHOIDIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD…

Pompeo Marangoni



DE

HAEMORRHOIDIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

CONSEQUENDAM

IN CELEBERRIMA STUDIORUM

UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT

MARANGONI POMPEJUS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI.



DE HAEMORRHOIDIBUS.



Sicuti alia organa humani corporis, etiam intestinum rectum et arterias, et venas proprie dictas habet et possidet. Arteriae, quae ad intestinum rectum distribuuntur e majoribus quibusdam truncis suppeditantur, uti ab arteria mesocolica sinistra, ab hypogastrica, et a pudenda communi. Illae, quae ortum ducunt e mesocolica sinistra, vocantur haemorrhoidales internae, aliae autem quae excurrunt per exteriores ani partes, haemorrhoidales externae dicuntur. Ut patet ab anastome arteriae illae omnes ad invicem inosculantur per anastomosim ramorum, et tali ratione efformant rete, ex quo sanguis impellitur in venas. Venae autem prope arterias inveniuntur et comites fiunt, ut accidit in universum, sed sunt revera et numerosiores, et latiores. Nonnullae Venae ex his, quae ad ani marginem habentur in mesocolicam sinistram ducunt sanguinem, qui cum illo lienis et mesenterii commixtus fertur ad hepar, ut in hoc viscere bilis locum habeat. Hae venae latiori textura praeditae, atque plurimo adipe prope anum circumdatae, frequenter compressae evadunt vel cum insidemus, vel quan-

do faeces diu morantes in intestino recto eb eo ejiciuntur. Ob hanc rationem venae e sanguine in iisdem congesto distinctae, in tumores varios tam figurae, quam magnitudinis assurgunt. Tumores istiusmodi non infrequenter dolent, et sanguinem profundunt, qui sanguis tam in quantitate, quam in qualitate potest differe, nam non semper e venoso systemate promanet sed imo aliquando ortum ducit ab arterioso systemate eruso, vel rupto in suis extremitatibus.

Hue adnotandum est relate ad haemorrhoides, quod apud auctores sub nomine haemorrhoidum, non intelligitur unus morbus, sed multiplex; et nunc habetur pro intumescentia horum vasorum, et nunc pro evacuatione sanguinis. Hinc inter haemorrhoidem et haemorrhoides non sine ratione distinctionem fecerunt illi, qui nominis etymologiam respiciunt. Profluvium sanguinis ex istis vasis nunc utile est, quasi e provida natura excitatum, tamquam remedium, et nunc periculo plenum. Non omnia ista tubercula sunt paria, iam quandoque et mole, et figura, et sede, et natura diversa evadunt. Hinc distinctio orta est in haemorrhoides *caecas, vel fluentes, in internas et externas, in benignas et malignas* et sic porro. *Caecae* vocantur illae quae absque sanguinis eruptione evadunt, et tantummodo molestiis et cruciatibus aegrotans laborat: *fluentes* dicuntur illae, quae sanguinem aliquando expuunt: *internae*, quae turgent in intestino supra eni sphincterem; *externae* autem, quae ad eni mar-

ginem exterius apparent. Eae omnes, pro diversa, quam referunt, tumoris figura, diversis etiam insigniuntur nominibus: hinc *uvales* nonnulli appellant illas, quae formant protuberantias rotundas vicinius sibi invicem junctas, racemi ad instar; *verrucosas* quando exhibent tubercula verrucis simillima, *vesiculares* quando vesiculas liquido distentas referunt et sic porro nunc *pisi*, *fabae*, *nucis avellanae*, *juglandis*, *pruni*, aut etiam *ovi columbini* volumen et formam induunt; modo partem tantum, modo totam ani periferiam occupant, nunc extra ani marginem propendunt; nunc circum ipsum sedent, et nunc sub nisu ex ano protenduntur e egestione faecum duriorum. Sanguis qui e vasis haemorrhoidalibus fluit, non semper est aequalis; et modo fluidus, modo niger et modo densus apparet. Hic fluxus pro diversa natura quam refert, appellatur vel *benignus*, vel *malignus*, *mitis*, vel *gravis*, et nunc *criticus* et nunc *symptomaticus*. Statuta semel hac conditione pathologica, fluxus haemorrhoidalis in nonnullis casibus periodice recurrere solet, at modo a locali vitio, modo ab universi systematis affectione sobolescit, at nunc ab adaucta, nunc ab infirmate vitalitate vasorum ortum ducit. Tandem haemorrhoides distinguuntur in *primarias*, et *secundarias*, modo in *simplices* et *compositas* prouti vel cum aliis morbis conjunctae sunt vel non. Fluxus sanguinis e vasis haemorrhoidalibus aliquando solet comparare repente et absque molestiis, sed quandoque animadversum fuit prae-

cedere nonnulla symptomata morbosam affectionem textantia, et ex illis nonnulla *localia*, et nonnulla *universalia*. Ad haec ultima symptomata, videlicet *universalia*, pertinent: dolor capitis, spirandi difficultas maxime post pastum, pandiculatio, cardiopalmus, sudor post quemlibet corporis motum paulo vehementiorem, anorexia, dyspepsia, amarities oris, inflatio abdominis, ructus, borborygmi, alvus adstricta et alia hujuscemodi. Huc quoque referuntur nonnullae sensationes aberrantes sicuti anxietatis, oppressionis, constrictionis in variis visceribus abdominis, in lumbis, in coxis et sic porro. Non raro talibus affectionibus febris consociatur, quae plus minusve universas oeconomiae animalis functiones perturbat et laedit, unde incommoda alia ingenerantur non pauca. Istis symptomatibus morbus haemorrhoidum aliisque non infrequenter stipatur. Fluxus sanguinis non semper emittitur purus, aliquando efficitur cum faecibus, et aliquando contingit evacuatio mere serosa, vel mucosa cui nonnulli dederunt nomen haemorrhoidum albicantium, sed improprie.

Symptomata usque huc enumerata, non semper eadem sunt et differunt, prout haemorrhoides vel caecae sunt, vel jam fluentes. Sub hac diversa conditione etiam diversi effectus contingunt. Haemorrhoides caecae stipantur plerumque torminibus, doloribus urentibus, ani procidentia et compressione ipsarum haemorrhoidum inter sphincteres cum enormi cruciatu et aliis hujusce-

modi. Non raro ob strangulationem ipsarum tunicae intestini recti inflammatione corripiuntur, et hinc habemus exitus inflammationis ipsius uti abscessum, gangraenam etc. Aliquando lenia incommoda pariunt, et vix, aut ne vix quidem dolent, et hoc observatur in illis casibus, in quibus tumores haemorrhoidales molles et flaccidi sunt.

Relate ad haemorrhoides fluentes eadem dicenda sunt, et fluxus sanguinis vario modo et aspecta se praebet; hinc ejicitur nunc pleno jacta, nunc affatim nunc est arteriosus, et nunc venosus, ex cujus diversa qualitate et quantitate, etiam diversi effectus oriuntur. Haemorrhoides, quae eveniunt in foeminis, producunt majora incommoda ac illa enumerata, si appareant instante menstruorum periodo. Plerumque hae obstaculum objiciunt partui sub cujus maximis nisibus non infrequenter rompuntur, et interdum sanguinem magna in copia effundunt cum maximo periculo foeminae. Tamen huc fluxus sanguinis a vasis haemorrhoidalibus non semper mala gignit, aliquando imo bonus effectus edit, ut in nonnullis casibus videre est. Et revera haemorrhoidibus comparentibus, multi morbi fugati fuerunt, atpote supressis, gravissima incommoda supervenerunt, et ipsa apoplexia, et mors etiam consecuta. Quae quaecvis ita sint, haud tamen adhaerendum est sententiae illorum, qui haemorrhoidalem fluxum necessarium et aptum ad innumeros morbos pervertendo appellant; neque minus eorum opinio

est facienda, qui parum aut nihil ab haemorrhoidali fluxu expectari posse crediderunt: propterea que nunquam esse adjuvandum, aut ciendum. At fluxum istiusmodi neque laudari generatim, neque vituperari posse existimo; juvat enim vel nocet pro hominis aetate, temperamento, vitae genere, morbis ac symptomatibus, quae vel fluxum praenunciant, vel comitantur.

Inter causas quae gignere valent haemorrhoides, enumerantur quam plures, et illae quae impellunt sanguinem ad arterias haemorrhoidales, et illae quae intercipiunt regressum ejusdem per venas aut remorantur. Ad has pertinent clysteres calentes et irritantes, omnia corpore aspera, et acuta, drastica, aloetica, hirudines, partus laboriosus, aequitatio, morbi vicinarum partium sicuti uteri, vesicae, vaginae suppressae evacuationes, quae contingere solebant in aliis locis, virus blennorrhoicum, affectio rheumatica, artritica et similia. Etiam pravus vivendi modus recensetur, et quoque nuclei cerasorum, ossicula animalium, faeces in crassis intestinis diutius morantes, durae, compactae: alvus obstructa, compressio a flatibus inducta: obstructio lienis, hepatis, tumor uteri, vaginae et alia hujuscemodi.

Ad hanc affectionem prae aliis dispositi sunt melancholici, qui dapibus laute indulgent, qui vitam peragunt inertem et otiosam, qui pathematibus animis et curis diuturnis laborant, et qui fluxibus habitualibus obnoxii ederent. Dispositio ad haemorrhoides non semper acquisita est, nam

saepe saepius ingenita recurrit a parentibus in prolem transmissa, uti a nonnullis adnotatum fuit. Hic morbus invenitur magis familiaris aetati virili ac provectiori, haud tamen caeteris parcit, nec desunt, ut refert Lieutaud, infantes septem aut octo annorum, qui hoc fluxu ad ultimam rerum lineam laborarunt.

Uti dictum fuit, fluxus haemorrhoidalis et mala et bona inducere potest; nec desunt scriptores praestantissimi, qui testantur graves et molestas affectiones ex hoc fluxu suffiaminato imo aliquando lacthales exortas fuisse; sicuti non desunt alii, qui declararunt haemorrhoides providum esse naturae molimen, et a pluribus morbis hominem servare incolumem et immunem, inter quos scriptores recensetur Hippocrates. Effectus istiusmodi fluxus vel salutares, vel noxii sunt, et juvamen aut damnum non est repetendum ex integro a quantitate sanguinis fluentis, sat etiam a conditione corporis, a morbi indole, a tempore et ab aliis peculiaribus circumstantiis. Si haemorrhagia aliqua supprimatur, salus auspicanda est ab alia, quae vices alterius evacuationis gerat. Hinc si in istis casibus haemorrhoides non succeduut, facillime potest avenire aliqua metastasis, et hinc vel haemorrhagiae, vel graves congestiones, aut inflammationes viscerum, non solum imi ventris, sed etiam pectoris et capitis, nec non aliae permultae aegritudines tam acutae, tam chronicae et tandem apoplexia vel mors. Boni ominis semper ratum fuit haemorrhoides adesse in hominibus

250

plethoricis, vel in illis, in quibus indicata est venae sectio, vel quando haemoptysi, et haematemesi, atque haematuriae superveniunt, sed oportet ut fluxus non excedat. De hac re pertractando etiam Hippocrates in suis scriptis dixit: »melancholicis et nephriticis bonum; quae apoplecticis, insanientibus si varices aut haemorrhoides supervenerint, insania solvitur.» Ex quibus verbis patet boni ominis esse haemorrhoidalem fluxum, si in illis morbis contingat in quibus a sanguinis evacuatione tum generali, tum praesertim locali, levamen est expectandum: neque aliter sentiendum, si in iis manifestatur, in quibus sanguinis fluxus morbis praevertendis aut eorumdem recidivae praecavendae valere credatur. Hisce in casibus, utrum criticus, aut symptomaticus sit fluxus, morbi indoles cui iste fluxus supervenit, et praesertim levamen subsequens ab eodem recte judicabunt.

Interim sicuti a spontaneis haemorrhoidibus, aut ab iis quae naturae conatu et evidentiori aliqua causa excitatae fuerunt, non valde est pertimescendum, haud tamen idem dici potest, cum habitualis jam sit fluxus, iisque repente aut arte, aut naturae vi, aut praeposteris auxiliis supprimitur. Tum haemorrhagiae superveniunt in aliis locis, vel etiam apoplexia vel mors. Ex quo palam est quanti intersit medicum in indagandis morborum causis sciscitari, utrum haemorrhoides habitudinis legem jam adeptae aegrum a longo jam tempore vexaverint, vel nec ne.

In curatione haemorrhoidum primum a medico perpendendum est, utrum hunc fluxum vel sinere debeat, aut promovere, an vero moderari aut compescere. Hic adnotandum est, quod quamvis haemorrhoides inter caeteras haemorrhagias minus terreri debeant, ut ab experientiis et observationibus comprobatum est, et constat salutem saepenumero ab hac promota sanguinis missione conservatam esse atque restitutam, tamen judicandus est hic fluxus praeter naturam, ut jam dixit Galenus. Hinc si bono plethora laboret atque alias, et saepe passus fuerit haemorrhoidalem fluxum, non semper curatio debet consistere in eo, ut depletio illa restituatur, nam idem effici potest cum diaeta, exercitationibus, venae sectionibus et caeteris auxiliis hujuscemodi. Ex hoc patet quod non solum licet interdum, sed oportet aliquando haemorrhoidalem fluxum impedire et arcere. Sententia illorum, qui judicant hunc fluxum viris esse aeque necessarium ac foeminis menstrua, fallax ex integro est. Tamen confiteor quod aliquando conveniat aequi indicationem hanc naturae, et hunc fluxum provocare, praecipue quando per hanc viam manifeste fit molimen naturae ipsius. Utilitas has haemorrhoides impediendi et arcendi in quibusdam casibus, patet ex eo quod natura in multis hunc fluxum non excitat, et multa incommoda ex eodem contingunt, et saepius ex occasionalibus causis produci potest, uti ab induratis faecibus, equitatione, graviditate et similibus, quin caete-

roquin haec sanguinis evacuatio saluti necessaria censetur. Natura vero haemorrhoidibus non est assuefacienda; etenim consuetudine inducta jam non amplius absque discrimine, incommodum penitus arceri potest. En ratio cur Hippocrates dixit de diuturnis haemorrhoidibus speciatim, non omnes curandas esse sed unam servandam apertam; nihilo tamen secius haec indicatio ac necessitas non est ita generalis ut nunquam fiat locus ipsarum curationi. Enim vero si causa ex qua haemorrhoidalis fluxus sustinetur, ejus generis sit ut aptis queat removeri auxiliis, an non praestabit eam penitus tollere, ut deinde compescatur fluxus ex quo alia gignerentur incommoda? Hoc praeceptum est magni momenti: et ab omnibus admodum laudatum. Verum est quod in omni casu antequam aliquid certi statuatur omnia sedulo libranda sunt et effectus perpendendi omnes, qui ex ipso profluvio in oeconomia animali promanare possunt ut deinde ab istis recte eruatur, an fluxus arcendus vel provocandus sit, an non? Videlicet comparanda est haec affectio morbosa cum aliis, in quibus homo ex haemorrhoidali fluxu levamen et salutem obtinuit; praeter haec, morbi eadem natura, ac symptomatum a sufflaminata evacuatione apparentium, tandem cognitio causae vel universalis vel localis totidem sunt adjumenta, quae attente explorata plurimum lucem possunt effundere ad distinguendum utrum haemorrhoidalis conditio revera salutare naturae conamen sit, an effectus alicujus morbosae causae.

Relate ad hoc De Haen clinicus jure meritoque laudatus mentionem facit de damnis, quae promanant tum ex nimis evacuatione sanguinis, et tum ex aliis molestiis, quas sibi adsciscunt haemorrhoides.

Curatio haemorrhoidum in eo versari debet ut primum evertantur causae, unde haemorrhoides productae fuerunt ac sustinentur. Ob hanc rationem methodus erit varia et medicamina diversa pro diversis causis, a quibus subolescunt, et pro diversa natura, quam tenent. Hinc arcemus et praepedimus plethoram, venae sectionibus atque diaeta tenui, et purgantibus, vel eccoproticis, vel drasticis; alvi densitati occurrunt enemata ex decoctionibus emollientibus, nec non blanda eccoprotica ut cassia, manna, pulpa tamarindorum, cremor tartari et sic porro. Si adest dolor et tenesmus ad deponendas faeces induratas, tunc adhibentur nonnullae injectiones ex oleo, butyro et lacte composite, et tali ratione ille nisus dolorificus sedatur; nec etiam in istis casibus spernenda sunt suppositoria ex iisdem substantiis vel similibus parata. Haec aliquando non sufficiunt, et interim animi quies concilianda est, decubitus orizontalis corporis, et compressiones, si adsunt, arcendae: aliquando potus sunt admovendi ex frigida aqua compositi, aut ex acetato plumbi in aqua diluti, et hoc praecipue in haemorrhoidibus inflammatis. Alia quoque praeparata et plumbi, et zinci, commendata fuerunt, uti cerusa, minium, sulphas zinci, et oxydum zinci sublima-

tum, quae omnia valdopere prosunt. Venae sectio in cura haemorrhoidum indicata est, quando et calor et ardor et dolor ingens, pulsatilis, pelam manifestant inflammationem cui addenda sunt cataplasmata emollientia ex malva, althaea etc., et his pro re nata anodyna varia consocianda. Cataplasmata ex foliis hyosciami, nec non ex foliis coctis lactucae profusise ad temperanda symptomata et leniendos dolores frequenter observatum fuit. Multum quoque commendatur unguentum populeum, vel cum butyro recenter mixtum. Haec omnia aliquando non sufficiunt, et tunc ad levamen obtinendum in auxilium alia trahenda sunt ut calentes vapores aquae, ut hirudines etc., et si ob applicatione hirudinum irritatio membranae adaugetur, tunc ope lanceolae aperiri debent tumores, et sic praepediri graviores laesiones, et graviora mala. Non raro causa haemorrhoidum est prolapsus recti intestini, et tunc indicata est repositio illius, quae efficitur vel manus auxilio, vel adstringentibus prudenter admotis, vel alio modo simili. Hoc peracto in posterum vitanda sunt sedulo omnia illa, quae favere possunt novae relaxationi. Quando haemorrhoides internae gravibus permoltis symptomatibus stipatae non evenescunt nec per applicationem hirudinum, nec per inunctiones ex oleo, butyro, et albomine ovorum, nec per alias rationes hujus generis, et semper sese habeat inter ani sphincteres ita ut suspicio oriatur de ipsarum transitu in indurationem, in suppurationem, in ulcera, in fistulas, in gan-

graenam etc., tunc hisce in casibus, radicalis curatio fit per recisionem ipsarum haemorrhoidum, et haec praeferenda est etiam ligaturae quam nonnulli proposuerunt. Idem dicendum est de haemorrhoidibus externis quando pertinaces fiunt, atque refractariae omnibus auxiliis.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Pulsus frequens non semper designat febrim inflammatoriam.

II.

Metastases aliquando judicantur bonae.

III.

Methodus medendi in variis regionibus diversimode est temperanda.

IV.

Vomitus non semper dependet a contractione ventriculi, sed aliquando efficitur a contractione abdominis et diaphragmatis.

V.

Fumus Nicotianae aliquando sistit remedium egregium.

VI.

Pulsatio non est signum pathognomonicum omnis aneurysmatis.

VII.

Factis diuturna experientia comprobatis fides tantummodo praestanda est.

